

P R A E F A T I O.

Ex quo antiquos Artis nostrae scriptores lectitare coepi, (coepi autem, vt primum nomen meum inter medicinae studiosos professus sum) praeter HIPPOCRATEM & ARETAEVUM, maxime in deiiciis habui A. CORNELIVM CELSVUM, idque non magis propter stili elegantiam, quam quod permulta vtilia ex eo didici.

Quum vero ex octo illis libris, quos de medicina composuit, nullus non bonae frugis plenus sit: tum praecipue primum, quo tuendae sanitatis ratio luculenter explicatur, ab insigni sua vtilitate commendandum esse censeo.

Equidem praecepta illa per amplius viginti annos, quibus artifex sum, omnibus, quorum valetudinem curabam, diligenter inculcaui, nec quemquam iis auscultasse vñquam poenituit, et si non deerant, qui non nulla auxilia, vt aquam frigidam, infirmo capiti & stomacho, neruisque & articulis dolentibus, infusam, temeraria & periculosa, alia, vt claram lectionem, & pilam, cum similibus exercitationis generibus, futilia, & histrione, quam Medico, digniora esse clamitarent. Quae conuicia tamen eo magis contemsi, quod boni effectus, qui ex vsu illorum consequebantur, homunciones istos mox pudore conficiebant.

Praeceptorum autem CELSIANORUM praestantiam quum plane exploratam atque perspectam haberem, non paucis adolescentibus, qui artis salutaris studio se dediderant, auctor fui, vt volumen iilud non modo legerent, sed etiam ediscerent. Fueruntque, qui, vberrimos fructus ex hoc consilio se percepisse, postea grati agnoscerent & testarentur. Ipse vero, quum otio nuper abundarem, neque valetudo, quae per hiemem fere paullo im-

becillior mihi esse solet, pati videretur, vt maius aliquid molirer, nihil, quod operaे non foret, me facturum existimaui, si totum libellum numeris poëticis adstringerem, siquidem inter omnes constat, quaecumque praecipiuntur, si carmini sint intexta, & plus ponderis habere, & memoriae promptius mandari, tenaciusque in ea haerere.

Operam dedi, vt CELSI mentem vbiique quam adcuratissime exprimerem, & ideo, quoad id facere licuit, ipsa eius verba usurpaui. Quum vero vulgata scriptura pluribus locis in mendo cubet, ante cœmnia hanc emendandam esse arbitratus sum. Qua in re quum exiguum in libris, tum editis, tum scriptis, esset praesidium, (omnes enim codices manu exaratos, quos Viri docti adhuc insperxerunt, ex vna sola membrana, & hac quidem vitiosa, propagatos esse, firmissimis, omnique exceptione & cauillatione maioribus argumentis olim demonstraturi sumus) quum igitur libri parum me iuuarent, saepe ad coniecturas decurrere, & CELSI nostri verba ex ingenio refingere me oportuit. Quod vtrum propitia, an irata Minerua, fecerim, Critici, sed ii rerum medicarum haud rudes, dijudicent.

Contextui, a me emendato, subiecta est varietas lectionis ex LOMMII, LINDENII, KRAVSII, TARGAE, & VALARTI editionibus, vt quae eruditorum & studiosorum manibus potissimum versari soleant. Quo ipso factum quoque est, ne vulgata scriptura, quam illae fere exhibent, desideretur.

Earumdem editionum lectiones, sicubi ab iis, quas receperam, vel tantillum discrepabant, etiam versibus expressi, & suo quamque loco elegis meis subieci.

Emendationum mearum rationes, quas in promtu iam habeo, alio tempore me redditurum esse spondeo.

CAP.